

Roxendae facies dum a te 4. aut. 5. miliar. dis lat ad Vpeurum.

A. Roxeyndt alst oost te zuyden vā v. is vijf ofte vyff mylen. B. Roxeyndt alst Noordt oost van v. is vijf ofte vyff mylen.

Syntra

Roxendae facies dum a te 4. aut. 5. mil. dis tante ad Borrhapcloten.

Syntra.

Lucas Ioes arigarius Inuentor.

SETV BAL

S. Oues.

T LANDT VAN TROIANEN

P O R T V G A L L I A E L I S B O N A



Zee Caerte van Portugal, Daer inne begrepen de vermaerde Coopstadt van Lisbona S. Oues, met hare Riieren Soe hem die selfde Landen verthoonen als men de Riieren op en off reyft.

Charta maritima Portugalliae, et celeberrimi Emporij Lisbonae S. Vrbis, et fluminum descriptio: veraque facies harum regionum, cum secundo et aduerso situ, nauigantur finit.



P A R S

longe Roxent.



C. de Roxent

N

Z

N

Z

M A R I S O C C I D E N T A L I S

P A R S

Scale of Spanish miles (17 1/2 per degree) and Dutch miles (15 per degree), with a decorative border and the name of the cartographer, Ioannes a Doetere, F.






# AMPLIOR LVSITANIAE DESCRIPTIO.

**C**ontinet hæc tabula Lusitanie mediam & præcipuam partem, in qua maior negotiatio, & præcipua tractantur commercia, ob Tagi amnis commodissimum situm, ad quem Oliosipo, celeberrima & Regia ciuitas, sita est, quæ non immerito totius Europeæ Emporium celeberrimum dici potest. Aduchuntur autem ex India Orientali, præciosissima quæque aromata, quælibet gemmæ, aliæque magni valoris Indiæ Orientalis merces, quæque Asia emittit: quæ ad regna, aliasque regiones Europeæ transferuntur. Olim hæc aduehebantur merces ex Asia, per mare Erythræum, in Alexandriam Ægypti, quæ istinc, magnis impensis & labore, per mare Mediterraneum, in Italiam aduectæ, in reliquis Europeæ prouincijs distrahebantur. Itaque, meo iudicio, merces istæ, plerumque ter, quaterue venundabantur, prius quàm in Europam peruenirent, præter alias cum mari, tum terra impensas non exiguas. Nunc vero, præsertim circa salutis annum sesquimillesimum, præsens nauigatio innotuit, industria & experientia Nauclerorum & Gubernatorum Portugalensium, & Lusitanie Regum laudanda diligentia & impensis, qua tota circumnauigatur Africa, & vnica nauis onerariæ operatione, merces istæ Oliosiponem aduehuntur: quæ quidem facillime, tum per fretum Herculeum, mareque Mediterraneum, in Italiam, tum per mare Oceanum in Galliam, Angliam, Scotiam, Belgiam, Noruegiam, Daniam, perque mare Balthicum in Sueciam, Russiam, & extremos Septentrionis nauigabiles limites, aduehuntur.

Hac occasione creuit sensim Lusitanorum Regum potentia, simul & opes: qui sua fixerunt insignia, ad omnes fere Africæ maritimas oras, ab vtraque lineæ Æquinoctialis parte, in Indiam vsque Orientalem: vbi ad maris litora, non solum adferuntur quæ præciosissima sunt merces, earum regionum, quæ Gangem inter & Indum fluuios sunt sitæ, Indiaque vocantur: sed & parte ex superiori Asia, Borrhapeliotica, & Aquilonari, quin & à Quinzaiâ, totius vniuersi maxima & amplissima ciuitate, & magni Chami ditione. Quæ merces, Lusitanorum nauibus onerarijs impositæ, Oliosiponem aduehuntur: vnde modo non solum ad regna, Prouincijsque Europeæ prædictas, sed & pone Noruegiam, nauigio in Moscouiam vehuntur. Minoribus itaque nunc impensis vniuersum fere circumeunt orbem, quam prius in Italiam peruenierant. Habet autem Moscouia Asiam ad Ortum: habeoque persuasum, Quinzaiam, & magni Chami ditionem, viciniores fore Moscouiæ, quam Indiæ Orientali, vbi Lusitanorû appellunt naues, & primo merces prædictas nauibus imponunt. Quæ merces Asiam, Africam & Europam, breui, vniuersum fere orbem circumuehi debent, vt Moscouiam vsque deferantur. Huius causa est: quod Mare Boreale, supernè, & ad alteram Asiæ partem, nimia frigoris asperitate, semper concretum, per nauigari non potest: alias quidem breue esset à Quinzaiâ in Moscouiam iter. Terrestre vero iter, etiam si tutum & liberum foret nemo sanæ mentis est, qui non intelligat, quantæ molis esset, merces tam ponderosas, vt sunt Aromata, & similes merces, miliarijs quingentis, sexcentis, aut septingentis, per montes & valles vehere. Plurimum igitur laudandus est Deus Optimus Maximus, qui hanc nauigandi artem mortalibus dedit. Paucis elapsis annis accidit, quod Moscouius quidam, à Magni Chami subditis captus fuerit, quem Quinzaiam deduxerunt: & istinc Austrum versus, ad Indiæ regiones, vbi Lusitani appellunt, qui ipsum emerunt, vnaque Oliosiponem uehebant. Hic à nullo intelligi poterat, donec tandem Moscouiticæ linguæ periti appellerent, qui præcio soluto ipsum liberauerunt, & in patriam miserunt. Potest equidem hic gloriari, se totum circumuississe & nauigasse orbem.

Nunc vt redeam vnde sum digressus: Assero Oliosiponem modo esse totius orbis forum vniuersale. Ibidem enim & aduehuntur, & auchuntur quæcunque ex Oriente merces, per mare Boreale, & ex eodem Oriente, per mare Australe. Oliosipon ciuitas est magna & ampla, viginti mille ædes fere continens, præter Palatium Regium, & armamentarium nobile. Fluuios habet egregios, & ad partem continentis portas sedecim: super moenia, turres 72. validas, & Ecclesias Parrochiales viginti quinque. Naues quæ singulis annis ex alijs Europeæ partibus, ibidem appellunt onustæ, Siligine, Tritico, Butyro, Caseo, Lactido, Lignos, panis laneis & lincis, sunt fere innumeræ: quæ istinc redeunt onustæ, tum speciebus Aromaticis, alijsque mercibus Asiaticis, tum Sale, Oleo, Vino, Saccharo, Oliuis, Vuis passis, Pomis Aureis, similibusque fructibus, quos Lusitanus producit ager.



# ORAE MARITIMAE CELEBRIORIS LVSITANIAE

PARTIS, SCILICET A BARLINGIS VLTRA  
S. VVES, ACCVRATA DESCRIPTIO.

**D**istat Barlingis Roxenda, miliaria duodecim ad Mesophœnicem & Phœniciam. Miliario ferè vno ad ortum Roxenda, est nauium statio, vulgò Cascalis dicta: vbi in decem duodecimue orgyiarum gurgite, saeuiente Borea, anchora figi potest. Si Cascalis sit in fluuium Tagum nauigandum, secundum litus Boreale, primum angulû nigrum vitando, præternauigabis, rudentis ferè interstitio. Deinde vela facies, quartæ rudentis partis distantia, ad angulû D. AEgidij: caue tamen ne leni aura, & summo maris decremento, hoc intres ostium, eò quòd refluxus in Boreale vadum, vulgò de Noorder Chopas, violentè rapitur. Superato verò D. AEgidio, nauigabis iuxta litus Boreale, quoad arcem, vulgò Restiers, præterieris: anchoramque duodecim tredecimue orgyiarum profundo committes ad Villam, vulgò Bolin dictam.

Si autem Lisbona profundum, vulgò Craecke diep, sit nauigandum, ponatur Occiduum Roxenda terminus è regione Cascais, donec cœnobii quod excelsa occupat, ad Occasum Restieri, turricula respondet, quæ Borealem terræ partem tenet. Dirigatur tum nauis ad cœnobium. D. Catharina, ad Borrhapeliotem ferè, & Ypocaciam, donec in parte Australi sint dua tertia aquæ, pergatur inde versus Restierum, quod arx superetur: vbi quocunque visum sit, eiiciatur anchora.

Quod si profundum, vulgò Craecke diep, sit intronauigandum vel enauigandum obliquato cursu, prædicta constituetur turricula duplicis mali intervallo ad Occasum, æqualique interstitio ad Boream præscripti cœnobij, & singulis vicibus, quoties has habes notas, vertetur nauis, donec D. Catharina assequatur sinus.

Sed si ad vadum S. Vves, nauigandum fuerit, teneatur angulus primus ad Occidentem Zizembra, & quantum est nauis vnus longitudo, extra angulû, qui ad Ortum, est, quoad domus alba apparuerit super arcem quæ ad litus est: & Arx Palmelo in magna comparebit valle. Notas has sic serua, adque Aquilonem, & Mesaquilonem, nauiga, donec arcem superaueris quæ in litore: & inde secundum litus, rudentis intervallo in S. Vves. In puluinis S. Vves, septem sunt Breuia, quæ summo maris æstu, orgyias quatuor altitudinis habent. Sunt hæc Breuia ad Austrum sicca, & aquis ferè supereminetia. Ostium iuxta litus Australe, cymbis tantummodo conuenit: anchoraque figitur ad ciuitatem S. Vves, in sex septemue orgyiarum gurgite.

Sunt in hac Lusitania parte tot tantaque commercia, & multiplices negociationes, vt in tota Europa vix secundum habeat. Abundat enim omni genere aromatum, Zaccharo, Argentò, Auro, Vino, Oleo, Sale, Ebore, vermiculis qui Cochenilia dicuntur, ligno Bresiliano, aliisque mercibus plurimis, quæ ex India illuc aduehuntur, & inde per vniuersam Europam auchuntur, venduntur, distribuuntur & consumuntur.

COSTA DE PORTUGAL - LISBOA - SETUBAL

Por L. J. WAGHENAER 21883, comprado em Lisboa em 52

da Reiss & Anwesenmann 414 de Outubro de 1993, lote 3757 p.1

D.M. 2,476.98 (um ducado em taxos)